



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De utilitate & facilitate amoris Dei, 22

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

his enim vegetior redditur dilectio, sicut ignis lignorum appositione.

2. Completur autem dilectio tui Domine ex affectu interioris amoris; ideo dicitur: *Vt diligas Dominum Deum tuum.* Completur etiam ex actu exterioris honoris: ideo dicitur: *Vt servias ei in toto corde tuo, anima, & mentetua.* Conservatur denique mandatorum tuorum observatione, ideo dicitur: *Custodiasque mandata Domini, ut bene sit tibi.* O benignissime Domine Iesu Christe, quem justissimum est amari, utilem & salubrem regulam te diligendi nobis clementer dedisti. Nam summæ æquitatis est, ut te timeamus; summæ levitatis, ut in viis tuis ambulemus; summæ bonitatis, ut te diligamus; summæ dignitatis, ut tibi serviamus; summæ æquitatis & sanctitatis, ut mandata tua custodiamus. O piissime Domine Iesu Christe, amator misericors & iuste, non ponderes peccata mea ad vindictam, sed misericorditer mihi ea condonare digneris: desque mihi gratiam tuam, ut per timorem tui, oriatur in me vera dilectio per affectum interioris amoris, & per actum exterioris honoris compleatur, & per observationem mandatorum tuorum conservetur, ut mihi bene sit te amando, nunc & in perpetuum, Amen.

C A P V T XXII.

De utilitate & facilitate amoris.

I. **V**erba tua verissima sunt, misericordissime Domine Iesu Christe, (exam-

emplum & forma amoris) qui dixisti: *Iugum meum suave est, & onus meum leve*. Hoc est, Domine, te veraciter diligere & amare, quod summe suave est & leve, adeo quod nullus habet, nec habere potest causam, aut excusationem aliquam te non diligendi. Vnde si alicui dicatur quod jejuret, dicere potest: corpus habeo fragile. Si dicatur ei, quod det, potest dicere: pauper sum. Si dicatur ei, ut oret, & limina Sanctorum visitet, potest dicere: infirmus sum. Sed cum ei dicitur: Dilige Deum & proximum, nullam habet excusationem. Quare benignissime Domine Iesu Christe, dilector amoris; scio, quod tam facile est te diligere, quod ex hoc corpus non affligitur, pes non pungitur, caput non dolet, venter non laeditur, lingua non vexatur, crumena non evacuatur; quia dilectio proprie consistit in anima, & inde sequitur, quod qui amat, non laborat.

2. Non est dilectio super facultatem hominis, ita quod non possit eam perficere. Nec est dilectio longe ab eo, scilicet ultra cognitionem ejus, ita quod non possit eam apprehendere, sed est juxta hominem, scilicet in ore ejus & in corde, ut impleat eam, & diligat te Domine, qui es summe gloriosus, summe delectabilis, & summe preciosus. Amicitia namque est respectu boni honesti, delectabilis aut utilis: quæ omnia sunt in te Domine Iesu Christe, superamabilis & superbone. Ex dilectione homo vivit vita gratiæ, & multiplicat bona opera,
ut

ut terram viventium possideat. Facilis res est (Domine Iesu Christe superamande) dilectio, à qua nullus, cujuscunque status, gradus aut conditionis existat, excusari potest. O miser & miserabilis peccator, quid faciam? Oculata enim fide hoc video & cognosco, quod facere deberem, & non facio. Scio (clementissime Domine) me nullo modo aliter tibi placere posse, nisi per dilectionem. Ad illam meum animum non converto, illam vilipendo. Ad illam habendam me non dispono, sed inclinationes meas ad vitia & peccata perficio. In illis permaneo, in illis delector, in illis fere continue prostratus miserabiliter jaceo. Respicere ergo me dignare, piissime Domine Iesu Christe, animarum per amorem purgator, oculo tuæ pietatis & misericordiæ. Dele iniquitatem meam maximam, & inclina cor meum pravum & perversum ad te diligendum & amandum. Non recedam à te, neque à tua benignissima voluntate: sed quicquid præcipis faciam; quicquid prohibes, evitem totis viribus, cogitatione, locutione, & opere; ut te donante, dilectionem tuam obtineam sempiternam, Amen.

C A P V T XXIII.

Quod diligere Deum est summe leve.

I. **F**RUCTUS & utilitas (Domine Iesu Christe, totius dilectionis author) quæ ex dilectione tua acquiritur, non solum est æterna gloria, de qua dictum est:

Quod